

Dei; ergo nutu solum et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur; ergo non ex ipsius naturæ conditione atque exigentia illi debita habet supernaturalitatem. Simile argumentum formatur ex S. Aug. L. 12. de Civ. c. 1. n. 2. scribentē: *Quamvis non omnis beata possit esse creatura..... ea tamen, quæ potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est.* Nam quæcumque etiam creatura rationalis possibilis ex nihilo creari debet; ergo ex se, hoc est, ex sua natura vel connaturali exigentia nequit esse beata.

S. DIONYSIUS seu Auctor L. de Ecclesiast. Hierarch. c. 2. part. 1. §. 2. hæc enuntiat: *Cum enim divinus hic status sit quedam nativitas divina, nunquam sane intellexerit, nedum fecerit, quidquam rerum divinitus traditarum, cui ne ipse quidem status hic divinitus afflatus sit.* Ex quo constat, dona supernaturalia dici oportere ordinis divini. Sed supposita possibilitate creaturæ *intrinsece* supernaturalis, dona supernaturalia non recte dici queunt ordinis divini; quia hujus ordinis participatio illis nequit congruere, nisi conceptus hujus ordinis, specificæ, individualiter et ultimo conveniens Deo, ipsi soli conveniat *connaturaliter*. Nam nequeunt dici ordinis divini ex eo, quod habere proportionem ad fruendum Deo, esse filium Dei, videre Deum, sint prædicata soli creaturæ convenientia, ut per se patet: neque ex eo quod hæc convenientia creaturæ simul et Deo; nam vivere, cognoscere et amare Deum aliaque hujusmodi etiam conveniunt utrique, quin tamen ea quis inde dixerit ordinis divini: neque ex eo quod hæc soli Deo convenient; cum enim angeli videant Deum sicuti est, et Deus hominibus dederit potestatem, *filios Dei fieri*, falsum id esse liquet. Superest ergo, ut ideo solum dicantur ordinis divini; quia secundum illos conceptus abstractos soli Deo *connaturaliter* debentur, non autem creaturæ ulli possibili.

Conf. Ex variis *absurdis*, quæ ex opposita sententia sequerentur. Sequitur enim 1°. possibilem etiam fore creaturam, cui *connaturaliter* debita sit unio hypostatica cum divina Persona: 2°. possibilem esse creaturam ex natura sua impeccabilem: 3°. possibilem esse creaturam natura seu naturaliter filiam Dei adoptivam etc.

9. *Nec dicas* 1°. Standum est pro divina omnipotentia, quamdiu non ostenditur clare et positive contradictio; qualis hic ostendi nequit. 2°. Complexum ex intellectu creato et lumine gloriæ non est tantæ perfectionis, ut nequeat dari creatura æque perfecta vel etiam perfectior. 3°. Dantur accidentia supernaturalia; ergo et possibilis est substantia supernaturalis.

R. *ad* 1^{um}. *Nego* non intercedere contradictionem, quæ ex ipsa essentia substantiæ creatæ, ratione supernaturalitatis, et absurdis satis ostensa fuit.

R. *ad* 2^{um}. Si creatura æque perfecta aut perfectior eo præcise titulo intelligatur, quod habeat perfectius lumen gloriæ, conceditur ejus possibilitas: quia certum est, secundum mensuram luminis gloriæ beatum unum perfectiorem esse altero, et visionem Dei esse inæqualem: Si autem intelligatur perfectior eo titulo, quod illi potestas videndi Deum sit connaturalis, negatur a nobis ejus possibilitas *ex sup. dictis*. Præterea, quamvis in genere judicemus aliquid possibile ex illo generali principio, quod Deus possit quid facere ultra, quam homo cogitando ascendere queat; tamen nullius entis supernaturalis possibilitatem in particulari certo cognoscere aliter possumus, quam ex fide aut ejus principiis; quæ sicut stant pro

complexo ex intellectu creato et lumine gloriæ, sic pro alio perfectiore secundum oppositum certe sensum non habentur.

Idem R. *ad* 3^{um}. A posteriori enim constat possibilitas *accidentium* supernaturalium, quia eorum existentia habetur ex revelatione divina. *Substantiæ* possibilitas nec a posteriori potest ostendi, nec a priori sustineri ob rationes datas.

ARTICULUS II.

AN ET UNDE ACTUS SALUTARES SINT ENTITATIVE SUPERNATURALES?

10. *Nota.* Habitus infusus tum præsentis viæ tum patriæ, actus item visionis ac fruitionis beatificæ, supernaturales esse in *substantia*, communis est sententia. Controversia est de actibus salutaribus, qui habentur in via, fidei scilicet, spei, charitatis, poenitentia, et similibus factis, *prout oportet*, ad salutem vel gratiam justificationis consequendam; *Scotistis* nempe et quibusdam aliis eos tantum supernaturales *quoad modum* asserentibus, *Thomistis* vero et plerisque aliis supernaturalitatem *quoad substantiam* illis vindicantibus.

11. *Dico* I. Actus salutare sunt entitative et quoad substantiam supernaturales.

Prob. Non tantum *finis*, ad quem hi actus ut media ordinantur, sed etiam *principia*, quibus ad illos efficiendos potentes reddimur; sunt *quoad substantiam* supernaturalia; ergo etiam ipsi actus sunt tales. *Antecedens* quoad *finem* est certum; ordinantur enim proxime ad gratiam justificantem, qua divinæ efficimur consortes naturæ: remote ad æternam beatitudinem visione intuitiva consequendam; quem utrumque finem entitative supernaturalem esse nec ab Auctoribus hic oppositis negatur, nec dubitari potest ex dictis alibi contra *Baium*. Quoad *principia* autem constat ex eo, quia ad actus salutare efficiendos dantur habitus virtutum per se infusi, et in eorum defectu aliud auxilium gratiæ effectivum: habitus autem infusos entitative supernaturales esse supponitur, et gratiam similiter supernaturalem esse, probatum est in Tr. de Gr. Ergo. *Consequens* liquet ex eo quod media servant proportionem cum fine, ad quem ut media ordinantur; sicut principia cum effectibus, propter quos dantur.

Conf. Concilia et Patres, ut videre est in Tr. de Gr., contra *Pelagium* constanter docent, gratiam divinam requiri, non solum ut facilius, sed ut simpliciter et absolute possimus actus salutare efficere. Vel ergo censent gratiam necessariam ad efficiendam ipsam actus substantiam, vel non: Si *primum*; sequitur manifeste nostra conclusio; cum ideo requiratur gratiæ virtus, quia per solas naturæ vires actus fieri nequit: et consequenter non est naturalis quoad substantiam: Si *secundum*; evidenter nimium tribuitur naturæ contra doctrinam Conciliorum et Patrum, quæ commodam interpretationem ægre sustinet. Qua enim specie tanta habituum et donorum necessitas explicari poterit de *modo* duntaxat supernaturalitatis? cum nec *modi* hujus quidditas, utilitas ac necessitas bene exponi queat.

12. *Dico II.* Actus salutare supernaturalitatem suam participant a principio effectivo supernaturali.

Prob. Quaecumque prædicata actus salutaris habet, participat a sua causa complete sumpta; ergo sicut prædicatum vitalitatis v. g. participat a principio elicitive vitali, sic et a principio supernaturali effectivo sortitur prædicatum supernaturalitatis. *Conf.* Quia non aliam ob causam asseritur supernaturalitas entitativa principii, ejusque absoluta necessitas, nisi ob entitatem effectus eamque supernaturalitatem.

13. *Obj. cont. 1^{um}.* Concilia et Patres aliter loquuntur de actibus patriæ, visione scilicet et fruitione Dei, quam de actibus viæ, fide nimirum, charitate etc.; de *primis* enim absolute enuntiant, quod creaturæ rationales non possint videre Deum, aut eo frui sine lumine gloriæ: de *secundis* autem id dicunt cum limitatione; sic enim Conc. ARAUSICAN. II. Can. 7. dicit, quod sine gratia non possimus cogitare, *ut expedit*: et Can. 6. loquens de credentibus, volentibus, desiderantibus etc. adjungit hæc a nobis fieri non posse, *sicut oportet*, nisi per infusionem Spiritus sancti: Conc. Trident. etiam, ubi Can. 3. negat sine gratia quemquam credere, sperare, diligere ac pœnitere posse, addit: *sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur*; ergo actus primi sunt supernaturales *quoad substantiam*, secundi autem tantum *quoad modum*.

R. 1^o. N. A. Concilia et Patres etiam loquuntur absolute de actibus viæ, ut patet ex Conc. Milevit. Can. 4. (Labb. t. 2. p. 1539. A.) et COELESTINUS seu Auctor sententiarum, quæ epistolæ COELESTINI ad Episcopos Galliæ conjunguntur, c. 7. (Labb. ibid. p. 1616.) qui sine limitatione adjecta enuntiant, quod ipsum *scire et diligere sint donum Dei*. Similiter Conc. ARAUS. II. Can. 7. relatis mox subjungit absolute dicens, non posse nos sine gratia *eligere opus bonum aut consentire prædicationi Evangelicæ* etc. Nec minus Can. 23. nulla limitationis mentione facta ait: *Prorsus donum Dei est diligere*.

R. 2^o. N. Cons. Licet enim hi actus aliis modis multum differant, non discrepant tamen in ratione *supernaturalitatis*. Ratio autem, cur his, non illis sæpe adjecta sit limitatio, atque hinc disparitas est, quia non datur alia beatitudo, nisi supernaturalis, quam speramus: neque potest esse alia visio intuitiva. E contrario præter fidem divinam et dilectionem salutarem potest esse, et de facto est fides vel credulitas et dilectio Dei *naturalis*; unde apposta a Conciliis limitatio non indicat modum eliciendi, sed designat speciem actus; quam satis manifestat ipsa vox visionis et beatitudinis pro præsentis providentia.

Inst. 1. Licet entitas actus salutaris dicatur naturalis, tamen potest exigere principium effectivum supernaturale ratione modi producendi, secundum quem excedit naturæ vires; uti requiritur aliquid supernaturale in sanatione instantanea.

R. N. Ass. et *supp. prob.* Nam imprimis si ratione *modi* tantum exigeretur principium supernaturale, sufficeret etiam illud esse supernaturale *quoad modum*; cum tamen Adversarii id fateantur et requirant esse quoad entitatem supernaturale. Deinde falsum est sanationem instantaneam esse proprie, aut theologice supernaturalem; unde vel paritas nihil evincit, vel probat actus salutare nihil etiam pertinere ad unionem cum Deo *quidditative* accepto.

Inst. 2. Modus ille potest explicari vel per hoc, quod actus ille quidem possit haberi viribus naturæ, sed *valde difficulter*; vel per hoc, quod actus ille accipiat rationem dispositionis aut meriti: vel quod nanciscatur omnimodam firmitatem et infallibilitatem: vel denique per hoc, quod actus in particulari v. g. *fidei* sit obscurus; cum intellectus creatus naturaliter non habeat assensum firmum et infallibilem, nisi motivis evidenter propositis; unde gratia indiget, ut similem assensum etiam habeat in obscuris.

R. N. Ass. Cum nullus explicandi modus satisfaciât. Non *primus*, utpote qui est Pelagianus, et a Conciliis Patribusque sæpe damnatus. Non *secundus*, quia hic cum Adversariorum principiis conciliari nequit; quandoquidem proportio ex ratione dispositionis vel meriti perfecta debeat esse actui *intrinsicæ*, et sic ad entitatem actus pertinere; cum sola condignitas adveniat a dignitate aut statu operantis. Non *tertius*, quia ista firmitas et infallibilitas actui est intrinsicæ aut consequens ad intrinsicam ejus perfectionem, vel non: Si prius; ergo entitas actus non potest poni sine gratia, et hinc supernaturale *quoad substantiam* habemus: Si posterius; ergo in actu non erit nisi respectus ad habitum per se infusum, sive denominatio, quod producat ab habitu, qui non potest producere assensum falsum. Verum ita habitus infusus vel gratia erunt superflua, aut saltem *absolute* non necessaria; quia et sine illis vel ex motivis evidenter propositis, vel alio modo, potest haberi actus firmus et infallibilis. Non *quartus*, quia actus intrinsicæ attingit motivum, et intrinsicæ certus aut firmus esse debet. Si ergo intellectus sine gratia motivum obscurum attingere nequit, actus *quoad substantiam* debet esse supernaturalis; cum ipsa entitas nequeat sine gratia haberi: Si autem certitudo actui non sit intrinsicæ, neque esse certum sit quid aliud quam actum esse necessario verum ab extrinseco; nequit imprimis dici quid ista denominatio conferat ad hoc, ut habeatur proportio ad finem supernaturalem: neque deinde explicatur adhuc modus specialis productionis, quem habet actus voluntatis supernaturalis.

14. *Obj. cont. 2^{um}.* Prius est actum esse supernaturalem, quam produci a principio supernaturali; ergo a principio supernaturali nequit accipere suam supernaturalitatem. *Conf. 1.* Ipsum principium, a quo supernaturalitas transfunditur in actum, habet supernaturalitatem: non potest autem dici unde. *Conf. 2.* Quamvis anima rationalis et angelus exigant produci a solo Deo, tamen non dicuntur supernaturales; ergo nec actus dici debent supernaturales a principio supernaturali, quod exigunt ad sui productionem.

R. 1^o. Retorqueo argumentum in paritate vitalitatis; quia etiam logice vel ratione prius est actum esse vitalem, quam exigere immanenter produci, quin tamen ideo negari possit eam actui tribui a principio vitali.

R. 2^o. D. A. Prius est actum esse supernaturalem formaliter et absolute spectando C. respective et causaliter seu passive accipiendo N. Supernaturalitas actus *formaliter* et *absolute* spectati stat in perfectione intrinsicæ ordinis superioris et essentialis ordinationis ad unionem cum Deo: *respective* autem et *causaliter* spectati stat in exigentia, qua requirit ad sui productionem principium supernaturale; quamvis vero illa supernaturalitas formalis præcedat signo rationis conceptum causalem, sicut possibilitas intrinsicæ

extrinsecam præcedit juxta probabilem in Philosophia; tamen quoniam conceptus prior fundat posteriorem, nihil obstat dici supernaturalitatem extrinsece ac causaliter haberi a principio effectivo. Unde et consequenter simpliciter negari poterat.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. 2^{am}. p. Nam formaliter habet per se ipsum et propriam perfectionem: effectivè et causaliter habet iterum a suo principio. Principium autem *primum* supernaturalitatis est omnipotentia Dei volentis manifestare suam gloriam et communicare se ipsum, sicuti est, atque hinc ordinatam ad hæc creaturam et vires naturæ transcendentem producentis.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. Cons. Non omne id quod nequit produci nisi a Deo, est supernaturale, ut ex dictis patet, sed ut supernaturalitas *actuum* petatur a Deo tanquam causa, debet is sumi ut determinans omnipotentiam ad splendendum influxum alicujus habitus vel qualitatis supernaturalis: pro supernaturalitate *habituum* autem debet sumi ut determinans omnipotentiam ad producendam perfectionem operativam ordinis superioris ac divini, seu ad producendum principium intrinsece ordinatum ad unionem cum Deo *quid-ditative* sumpto.

QUÆRES: *An actus etiam universaliter et necessario desumant suam supernaturalitatem ab objecto?*

13. *Nota.* Sensus hujus quæstionis resolvitur ab aliis etiam in hunc modum: *an actus supernaturalis habeat necessario objectum aliud et specie distinctum, quam habet actus naturalis*; adeoque actus supernaturalis ob illud objectum extrinsece, et ob tendentiam in hoc objectum seu exigentiam hujus objecti intrinsece distinguatur ab actu naturali? Ad hanc difficultatem, circa quam maxime Auctores variant, enodandam supponimus ex Philosophia notionem objecti materialis et formalis pro aliqua potentia, repetimus tamen objectum formale statui duplex: 1^{um}. est objectum *formale quod* seu propter quod, et est illa ratio objective motiva, propter quam potentia intentionalis objective determinatur et movetur, ut tendat in objectum materiale vel affirmandum aut negandum, vel prosequendum aut aversandum: 2^{um}. est *formale sub quo*, seu id, quo supposito seu mediante, potentia determinatur ab objecto formali quod, ut feratur in materiale. Porro hoc prædicatum seu medium est vel objecto *intrinsecum*, uti v. g. est cognoscibilitas, amabilitas, visibilitas etc. vel est objecto *extrinsecum*, uti v. g. respectu objecti voluntatis est cognitio, qua mediante repræsentatur et proponitur objectum ut amabile; quæque se instar applicationis habet, et est mera conditio.

16. *Dico I.* Objectum *materiale* potest esse idem respectu actus tam supernaturalis quam naturalis; ideoque per illud non distinguitur ille ab hoc, nec ab objecto materiali actus desumit supernaturalitatem. Assertio est *communis*, quia certum est quod per actum supernaturalem fidei credamus Deum existere, esseque summe sapientem hujus universi Conditorum; et simul idem actu naturali ex creaturis cognoscamus: *item* quod eundem amare possimus amore tum naturali tum supernaturali.

17. *Dico II.* Objectum *formale sub quo* extrinsecum, seu cognitio proponens objectum tum materiale tum formale quod, aliud est respectu actus supernaturalis, quam respectu naturalis. Et hæc assertio *communis* est cum iis, qui nobis in sequenti responsione adversantur: Communior quoque est inter Auctores alios: quia ad omnem actum salutarem requiritur gratia præveniens supernaturalis: ac consequenter *illustratio intellectus*, et objecti propositio supernaturalis, uti probavimus in Tr. de Gr. num. 291. et seqq.

18. *Dico III.* Idem potest esse objectum *formale quod* actus supernaturalis et naturalis; adeoque non distinguitur actus supernaturalis a naturali per respectum ad objectum formale quod: nec actus desumit universaliter et necessario suam supernaturalitatem ab objecto formali quod. Ita post *Scot. Gabr., Ægid., Granadus, Lugo, Ovied., Ripald., Viva* et plures contra alios multos.

Prob. QUOAD ACTUS INTELLECTUS. Hæretici credunt plura objecta fidei propter idem objectum formale, nempe auctoritatem et revelationem divinam, propter quod credunt Catholici; ut patet tum ex firmitate iudicii et adhesionis ad eas veritates tanta, quanta est in Catholicis, quæque sicut in his, sic nec in aliis potest referri ad aliud motivum: tum ex animi comparatione in Hæreticis, qui ad solum verbum Dei recurrere solent, et motiva Ecclesiæ excludere: tum quia quamvis ex privati spiritus explicatione, revelatio possit apud illos esse tantum existimata, tamen ad hoc ut revelatio se habeat ut motivum seu objectum *formale quod*, non requiritur vera et realis ejus existentia, sed sufficit illam intentionaliter et repræsentative existere. Sed fides Hæreticorum est actus mere naturalis; quia iudicium credibilitatis, a quo eorum voluntas movetur et dirigitur, non est, *ut oportet*, prudens, ac consequenter Deus non præbet concursum ad actum supernaturalem: Catholicorum autem est actus supernaturalis, ut supponitur.

Conf. 1. Rudis inter Catholicos a Parocho instructus potest prudenter judicare aliquid esse revelatum, quod re ipsa revelatum non est; ac proinde prudenter judicare id sibi esse credendum ex motivo Dei revelantis, quo credit alias veritates vere revelatas. In hoc casu rudis ille poneret actum fidei, sed solum naturalem; quia supernaturalis fides exigit veritatem objecti materialis et formalis, ut infra dicetur; ergo objectum *formale* fidei potest attingi actu mere naturali etc.

Conf. 2. Qui post frequentatos actus supernaturales fidei v. g. circa mysterium Incarnationis acquisivit habitum naturalem ad similes actus eliciendos, postea vero ob negatum aliud fidei articulum ad hæresin deficit, amittitque habitum fidei infusum, a remanente etiamnum habitu illo acquisito naturali sentiret se multum facilitari ad credendum idem mysterium propter auctoritatem Dei revelantis; nec tamen eliceret nisi actus naturales; ergo.

Prob. QUOAD ACTUS VOLUNTATIS. Ex eodem motivo bonitatis divinæ potest diligere Deus tam amore naturali quam supernaturali; quia si cognoscatur ut auctor sive naturæ sive gloriæ cognitione naturali, amor, qui hanc naturalem cognitionem sequitur, erit naturalis: si vero cognoscatur ut talis per cognitionem supernaturalem, amor exinde consequens erit supernaturalis, gratia scilicet *voluntatis* illustrationem sanctam comitante, et Deo auxilium adjuvans offerente, ut alibi dictum; ergo.

Conf. 1. Nihil impedit, quominus actus supernaturalis possit versari circa objectum formale naturale; tum quia potentia superioris ordinis potest attingere objecta inferioris ordinis: tum quia per actum scientiæ infusæ potest cognosci aliqua veritas mediata per principia naturalia. Neque etiam repugnat ut objectum supernaturale attingatur ab actu naturali; ut patet tum ex dictis de actu intellectus: tum quia licet objectum supernaturale excedat vires intentionales naturæ intellectualis, tamen supposita semel illius revelatione, nihil intercedit quominus illud, narratione expositum, quis possit naturaliter audire, naturaliter saltem abstractivè cognoscere, naturaliter amare.

Conf. 2. Deus æque amore dignus est ut auctor naturalium, quam ut auctor supernaturalium; ergo sub utroque respectu debet posse amari amore supernaturali. *Item* plures Sancti excitabantur ad amorem Dei ex consideratione creaturarum, inde ejus bonitatem absolutam inferentes; gratis vero dicitur semper adjunctam fuisse considerationem Dei ut auctoris gloriæ: et incredibile est eos tunc solum elicuisse actus amoris naturales. *Denique* experimur quidem quod, cogitando de bonitate supernaturali, excitemur ex hoc ipso motivo ad Deum ut bonum supernaturale summum amandum: nec tamen sine revelatione scire possumus quod Deum supernaturaliter amemus; cum juxta Eccles. 9. nesciat homo, utrum odio, an amore dignus sit: quod ipsum tamen certo et practice, quia experimentaliter, scire possemus, si supernaturalitas actus desumeretur ex *objecto formali* supernaturali.

19. *Nec dicas 1º.* Actus specificantur *ab objecto*; ergo ubi sunt diversi specie actus, quales sunt naturalis et supernaturalis; sunt diversa objecta, nempe formalia. *Conf. 1.* S. Th. 1. 2. q. 63. 4. in 0. distinguit virtutes infusas ab acquisitis, ex eo quod illæ respiciant objectum prout conforme regulæ supernaturali, hæ vero prout conforme regulæ naturali seu dictamini rectæ rationis. *Conf. 2.* Actus virtutis Theologicæ sunt perfectiores aliis virtutum moralium, quia habent perfectius objectum; ergo quia actus supernaturales perfectiores sunt naturalibus, id habent a perfectiore objecto.

R. D. A. Specificantur *ab objecto* tantum et universaliter N. ab objecto vel a principio extrinsece, et ab intrinseca perfectione aut a modo tendendi intrinsece C. *Axioma* tenet, quatenus ex diversis specie objectis arguimus diversas species actuum; non vero vicissim, quasi ubi est idem specie objectum, similiter forent actus ejusdem speciei. Nam simplex complacentia, desiderium et amor efficax circa eandem bonitatem differunt specie ex solo modo tendendi: Cognitio angelica et humana, item visio spiritualis et materialis ejusdem objecti differunt ex parte solius principii.

Ad Conf. 1ª. R. 1º. Idem 2. 2. q. 5. a. 2. docet dæmones credere mysteria fidei nostræ secundum illud Jac. 2. *Dæmones credunt et contremiscunt*; fides autem eorum certe non nititur testimonio humano, sed divino: nec tamen, ob defectum piæ affectionis liberæ et principii gratiæ, est supernaturalis.

R. 2º. D. Distinguit illos actus per illa objecta, tanquam formalia *quæ N.* tanquam formalia *sub quibus C.* Virtutes enim infusæ, quæ respiciunt objectum prout conforme regulæ supernaturali, non habent illustrationem illam, sub qua innotescit regula, tanquam rationem motivam; sed solum ut conditionem se tenentem ex parte potentiæ, ut possit objectum prosequi

actu supernaturali. Similiter intelligendus est, dum 1. 2. q. 109. a. 3. ad 1. distinguit amorem naturalem a supernaturali, quod hic feratur in Deum ut auctorem supernaturalium, ille ut auctorem naturalium. Non enim hic assignat *diversa motiva*, sed eminentiam et perfectionem charitatis supernaturalis, quæ, prout convenit statui elevationis, fertur in Deum secundum quod est objectum beatitudinis, et homo habet quamdam spiritualem societatem cum Deo.

Ad Conf. 2ª. T. A. N. Cons. Quia ex dictis patet, et perfectionem haberi posse a principio, et objectum formale non esse universim rationem distinctionis ac perfectionis.

20. *Nec dicas 2º.* De ratione objecti supernaturalis est, quod excedat vim cognoscitivam naturæ; ergo non potest attingi actu mere naturali; præsertim quia alias actus naturalis illud tanquam suum objectum exigeret; et hoc proin ex alio etiam capite supernaturale non foret.

R. 1º. Argumentum nimium probat; cum sequeretur nec objectum *materiale* supernaturale attingi posse per actum naturalem; contra dictum num. 17. et 18.

R. 2º. D. A. De ratione objecti supernaturalis est, quod excedat vim cognoscitivam naturæ quoad cognitionem quidditativam C. quoad cognitionem abstractivam *subd.* antecedenter ad revelationem C. consequenter ad eam N.

Similiter R. *ad prob.* Quia et hæc exigentia non est, nisi ex facta hypothesis revelationis: et non est exigentia objecti ad realiter, sed tantum intentionaliter existendum.

21. *Nec dicas 3º.* Concilia et Patres exigunt gratiam Dei ad actus fidei, spei etc. Si autem hi actus possent haberi *naturaliter*, vel eorum doctrina falsa esset, qua dicebant actuum horum substantiam non posse haberi naturæ viribus: vel foret ridicula, utpote quæ secundum nos nihil definiret, nisi gratiam esse necessariam ad fidei vel spei actum cum gratia.

R. D. Exigunt gratiam ad actus fidei, spei etc. salutare, et ut oportet ad salutem C. ad eos simpliciter N. Concilia et Patres, qui nonnunquam locuti sunt simpliciter, sæpe etiam limitationem illam adjecerunt; quod, uti et ejus ratio notata est num. 13.

Ad seq. 1ª. R. D. Si hi actus secundum suam perfectionem intrinsecam, qua referuntur ad unionem cum Deo quidditative sumpto, possent haberi naturaliter, falsa esset doctrina C. cum tantum haberi possint quoad illum respectum vel tendentiam, qua connotant objectum materiale et formale quod N. Per postremum autem constituuntur tantum actus in ratione fidei vel spei, fidei humanæ vel divinæ; per prius in ratione supernaturalitatis.

Ad seq. 2ª. R. N. Sane ridiculum non est dicere, inter media et finem debere esse proportionem: quia vero finis supernaturalis est, media etiam debere naturæ vires transcendere: porro cum actus salutare dicebant esse media ad hunc finem, recte definebant ad eos requiri gratiam, non sufficere vires naturæ, sed necessarium esse principium supernaturale.

22. *Nec dicas 4º.* Si quis diceret, intellectum creatum per solas naturæ

vires posse divinam essentiam intuitive videre eadem claritate tum extensiva tum intensiva, qua eam sub lumine gloriæ nunc vident beati; et hanc visionem nihilominus negaret esse beatificam ex eo præcise quod per solius naturæ vires habeatur; is merito rideretur ab omnibus, tanquam vel ignarus terminorum, vel minus connexe discurrens; ergo a *pâri* cum dicamus, vel ex nostris principiis sentire debeamus, posse hominem naturaliter elicere actum fidei, specificè tam perfectum, quam est actus fidei supernaturalis; incohærenter negamus cum esse salutarem, eo quod per solius naturæ vires eliciatur.

R. 1^o. Argumentum laborat falso supposito duplici; *primo*, quia supponit primarium conceptum nostrum supernaturalitatis esse philosophicum et non theologicum: *secundo*, quia supponit actum naturalem fidei esse æque certum ac supernaturalem; cum quidem in naturali actu habeatur connexio objecti materialis cum formali, non autem connexio actus cum objecto; atque hinc possit existere actus naturalis, quin existat ejus objectum formale, quod implicat respectu fidei supernaturalis.

R. 2^o. *N. Cons.* *Disparitas* est, quia in *primo* casu haberetur formaliter unio cum Deo *quidditative* accepto; unde qui, impossibili supposito admissio, negaret illam visionem beatificam supernaturalem, recte ex utroque capite rideretur: sed qui in *secundo* casu haberet quidem perfectionem actus, in respectu ad hoc vel illud objectum consistentem, necdum tamen haberet perfectionem intrinsicam ad unionem cum Deo *quidditative* sumpto terminatam; cum nulla inter utramque connexio necessaria ostendi possit, ut satis probatum est.

23. *Nec dicas* 5^o. Paulus 1. Thess. 2. v. 13. *Gratias agimus, inquit, quia cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.* Ex quo sic arguitur: accipere verbum Dei, ut est verbum Dei et non hominum, est credere revelata a Deo propter ejus dicentis auctoritatem; sed ita accipere verbum Dei, juxta Apostolum, est opus gratiæ divini proprium; ergo sic credere soli gratiæ et non naturæ proprium est aut convenit. Et sane si daretur naturalis acceptio verbi Dei, ut est verbum Dei, divisio inter acceptionem verbi Dei ut verbi Dei, et ut verbi hominum non esset adæquata, sed ambigua et æquivoca.

R. *D. m.* Juxta Apostolum accipere verbum Dei, ut est verbum Dei, operatione supernaturali Dei, est opus gratiæ divini proprium *C.* sine tali operatione *N. m. et Cons.* Distinctionem hanc ipse Apostolus suggerit; cum non simpliciter scribat: *accipere verbum auditus Dei, sicut est vere verbum Dei*, sed addat: *qui operatur* (supple ex Corn. a Lapide *fidem*) *in vobis, qui credidistis*, vel potius ex græco τοῖς πιστεύουσιν, *qui credidistis*. Unde quamvis permittatur divisio esse inadæquata, non tamen est ambigua vel æquivoca propter adjectam sufficientem explicationem.

24. *Nec dicas* 6^o. Ut actus sit meritorius debet procedere ex *motivo* supernaturali, ut patet in attritione, quæ non est utilis ad salutem, nisi sic procedat; ergo. *Conf.* Homo debet esse liber ad eliciendum actum supernaturalem, et propter actionem supernaturalem est laudabilis: neutrum

autem fieri posset, si supernaturalitas sumeretur a *principio*, et non a *motivo*; cum homo nequeat discernere inter principia sui actus, neque eligere, ut principium supernaturale influat vel non.

R. *D. A.* Debet procedere ex motivo supernaturali, secundum se, ex natura et intrinsece tali *N.* supernaturali, extrinsece et denominative tali, ab illustratione scilicet aut actu fidei, cui substat, et a quo prævie attingi debet *C.*

Ad Conf. R. N. m. Ad hoc ut homo sit liber ad actum supernaturalem, non requiritur ut sciat se habere principia supernaturalia, sicut nec ad libertatem pro actu meritorio exigitur conscientia hominis de statu gratiæ; sed satis est quod, principio supernaturali instructus, ex propria electione ponat actum, *qui*, non *qua*, procedit ex illo principio. Similiter homo non est laudabilis ex eo quod eligat actum supernaturalem præ naturali; cum hoc non nisi *affective* tantum facere possit, eo quod inter utrumque non discernat: sed quod ponat actum qui est supernaturalis, cum facit quantum potest, et potentiam, quam habet, applicat ad actum supernaturalem. Neque huic obest quod qui actum supernaturalem elicit, sit præmio æterno dignus, quo non est dignus eliciens actum naturalem; unde inferatur laudabiliorem esse aliquem ex eo quod eliciat actum supernaturalem. Nam præmium non commensatur præcise libertati, sed etiam et vel maxime dignitati ac excellentiæ tum operis tum personæ operantis, quibuscum proportionem dicere debet: unde fametsi non sit liberum homini gratia sanctificante pollere, nec laudabilius etiam agat eum, quam sine gratia sanctificante; majus tamen præmium meretur operans gratia sanctificante instructus. E contrario laudabilitas commensatur dignitati operis, in quantum præcise est libera.

ARTICULUS III.

QUID ET QUOTUPLEX SIT HABITUS SUPERNATURALIS?

25. *Nota.* Cum de habitu supernaturali sermonem instituamus, manifestum est nos loqui de virtute. D. THOMAS ex S. AUGUSTINO 1. 2. q. 55. a. 4. *Virtus est, inquit, bona qualitas mentis, quæ recte vivitur, quæ nullus male utitur.* Sic sumpta dividitur in acquisitam et infusam. *Acquisita* est, quæ per frequentatos actus generatur; ejusmodi sunt omnes habitus naturalium scientiarum et artium: *Infusa* est, quæ a Deo infunditur absque prævio actu exercitio; et de hac loquitur S. THOMAS in data definitione, dum addit: *quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Dicitur autem virtus alia per se infusa, alia infusa per accidens. *Infusa per se* est, quæ nullis naturæ viribus nec ulla actu repetitione acquiri potest: *Infusa per accidens* est, quæ quidem actuum frequentatione acquiri potest, sine ea tamen hic et nunc a Deo infunditur; cujusmodi erant artes et scientiæ Adami, quas alii homines per frequentatos actus addiscunt, ipse vero sine his a Deo obtinuit. Porro virtutes aliæ dant facile posse, aliæ simpliciter posse: *Dare facile posse* est ita concurrere, ut quidem sine virtute possit actus elici, sed non faciliter, quam facilitatem operandi virtus seu habitus tamen affert: *dare simpliciter posse* est ita concurrere, ut sine virtute (nisi omnipotentia extrinsece applicata defectum suppleat) actus non possit elici; et quamquam ejusmodi virtus habeatur, non tamen propterea actus eliciatur facile.